

§. IV. Addamus etiam Aretio repugnantem Joh. AFFELMANNVM, Theologum ἀγιοῦ Εἰσέροντος, qui, ubi disputationi solidissimæ, de fide infantum, quædam προσδίκη ματα addit, num. 13. p. 865. ita scribit: *Infantibus poenitentiam competere disputat ARETIVS P. I. probl. p. 114. Quem refutant Piscator Vol. I. Disp. loco XIV. thes. 34. p. 244. Junius. Tom. II. Opp. p. 890.* Aretio quidam ex Orthodoxis ad stipulari, quidam refragari videri possent. Nos Orthodoxos Theologos conciliare conabimur. Theologos dico, nam de D. A. L. non laboramus. Aretii autem sententiam ex augustis scripturæ tabulis refutabimus. Vid. August. L. IV. De Baptismo c. 24. Mallemus vero Beatum Theologum calamo illa consignasse, prout dubio procul oretenus, quæ hic promisit, & abunde & egregie præstítit.

§. V. Audivimus Calvinianum hanc quæstionem affirmantem & Orthodoxos negantes. Audiamus nunc Calvinianum negantem, qualis ex multis sufficere nobis potest SAMUEL MARESIVS callidus satis adversarius. Ubi hic in systemate suo de *Poenitentia subiecto* loco XIII. n. XXVII. p. 297. agit, ita pronunciat: *Poenitentia subiectum quod attinet, ut non negaverimus esse in infantibus regenerationis gratiam, cuius vi eluenda est inherens corruptionis nativæ macula, tamen actus illi resipiscitæ, quos descripsimus, in infantes cadere non possunt. Etenim non norunt discriminem inter dextram suam & sinistram Jon. IV, 11. Nec Joel. II, 16. Infantes poenitentia capaces declarantur, cum parvuli & fugentes ubera ad jiciuntur populo & senibus, sponsis item & reliquis convocatis ad jejunium & ad diem interdicti, sed erant in coetum adducendi, ut sic Parentes scirent sua se resipiscientia mala imminentia aversuros & a se & suis liberis. Ita MARESIVS, qui, uti in aliis ad hanc doctrinam pertinentibus vehementer lapsus est, ita hic etiam, quod in eo merito desideraretur, alii deprehenderunt.*

§. VI.